

N° XII.

De moneta, in civitate Baionæ, cudenda.

A. D. 1423.

An. 2. H. 6.
Vasc. 2. H.
6. m. 13.

HENRICUS, dei gratiâ, rex *Angliæ & Franciæ*, & dominus *Hiberniæ*, seneschallo nostro *Vasconiæ* & constabulario nostro *Burdegaliæ*; qui nunc sunt, vel qui pro-tempore erunt, salutem, quibusdam certis de causis, nos & consilium nostrum moventibus, vobis mandamus, quod, omni dilatione postposita, in civitate nostra *Baionæ* talem monetam, & tanti ponderis, & valoris, qualis *Burdegaliæ* & alibi in ducatu nostro prædicto utitur, fieri & cudi, ac ulterius, pro commodo nostro, inde ordinari faciatis, prout melius fore videritis faciendum, & si causa sufficiens & rationabilis subfuerit quare præmissa fieri non debeant, vel possint, tunc nobis & dicto concilio nostro, de causâ hujusmodi, si quæ fuerit, sub sigillis vestris, distinctè & apertè, ac indilatè, significari & constari faciatis; & hoc nullatenus omittatis. Teste rege apud *Westmonasterium*, vicesimo tertio die octobris, anno regni nostri secundo. Per breve de privato sigillo.

RYMER, tom. 10. p. 313.

N° XIII.

Pro majore, burgenfibus, & communitate civitatis Baionæ, de moneta cudenda.

A. D. 1431.

An. 10. H. 6.
Vasc. 10. H.
6. m. 10.

REX omnibus ad quos &c. Salutem. Monstraverunt nobis, & concilio nostro, dilecti legeri & subditi nostri, major, burgenfes, & communitas civitatis nostræ *Baionæ*, qualiter indigentia grandis & monetæ nostræ carentia non modica habetur in eadem, eo quod, occasione guerræ, nulla plata sive massa argenti ad cunagium nostrum *Burdegaliæ*, ibidem cudenda, dari potest, per quod moneta de diversis regnis & patrijs (videlicet)